



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 805. A quo & quo tempore originem suam duxerit status religiosus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

## TITULUS XXX.

## De decimis, primitiis &amp; oblationibus.

**T**itulus quoque hic quò ad decimas integrè à me tractatus in foro benef. à quest. 464. usque ad quest. 499. ubi quest. 964. & duabus seq. de natura & divisione decimarum & jure, quo debentur q. 467. & seq. ex quibus rebus solvenda q. 469. & duabus seq. quando qualiter solvenda decima q. 473. usque ad q. 483. de personis, quibus & qualiter obvenire & deberi possunt decima q. 483. & duabus seq. q. 486. usque ad q. 494. de exemptione à solvendis decimis per

privilegium, consuetudinem, prescriptionem, transactionem, permutationem q. 494. usque ad q. 498. de pœnis & compulsionem non solventi decimas, deque iudice competente in causa illarum.

Primitiarum quoque materia compendiosè tractata à me in for. benef. p. 1. quest. unica nempe 499. De Oblationibus actum l. c. quest. 460. & tribus sequentibus, ubi quæsitum & responsum, quid sint an & quo jure, ex quibus rebus, & cui debeantur, quæ vide.

## TITULUS XXXI.

## De regularibus &amp; transeuntibus ad aliam Religionem.

## CAPUT I.

## De status religiosi origine, essentia, varietate, deque personis eum suscipere capacibus.

*Quest. 805. A quo & quo tempore originem suam duxerit status religiosus?*

**R**esp. Status Religiosus in latiore significatione acceptus pro communitate aliqua hominum, qui speciali vivendi ratione se cultui & servitio Dei dedicant, tametsi aliquis existeret in lege veteri, ut constare videtur ex Nazaritis, num. 6. in Elia & Elisæo, quos etiam habuisse & habitasse Collegia, colligere licet ex 3. & 4. Lib. reg. Tambur. etiam de jure abb. Tom. 1. d. 2. q. 1. referat Samuelem instituisse Conventus Religiosorum jugiter psallentium. D. quoque Hieron. Episc. 4. ad rusticum, dicat: filii Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus; ædificabant sibi Casulas prope fluentia Jordanis, tametsi hæc ita sint, nullum tamen statum Religiosum verè ac propriè talem, seu in ea perfectione & modo vivendi sub votorum certarumque regularum observantia existisse in lege veteri, certum est, & cum communi asserunt Tambur. l. c. Mirand. in man. Pralat. Tom. 1. q. 3. a. 1. & 2. Sed primitus secundum se & quò ad substantiam suam institutum in lege nova ab ipso Christo Domino, exhortante ad tria consilia & vota desuper facienda, ad paupertatem quidem, Matth. 19. vade & vende omnia. Matth. 10. nolite possidere aurum & argentum. Ad castitatem. Matth. eodem capite. Sunt Eunuchi qui seipso castraverunt propter regnum Cælorum, Ad obedientiam Matth. 16. qui vult venire post me abneget semetipsum, &c. consentiunt Catholici omnes, ac ita dici possit statum Religiosum quò ad substantiam esse de jure divino, non præcipiente, sed consulente cum Suar. Tom. 3. de relig. l. 3. c. 2. num. ait Pirh. b. t. num. 18. spectatus

verò status Religiosus secundum specialem modum vivendi juxta certas regulas substantiæ ipsius superadditum, non est immediatè ex institutione Christi, sed Ecclesiæ, tum statuentis certas condiciones, sine quibus vota religiosa, quæ sunt de essentia status Religiosi, ut talia acceptari non debeant, ad modum, quo Christus Sacramenta instituit, quò ad pertinentia ad eorum substantiam, relinquendo Ecclesiæ accidentalia determinanda. Suar. l. c. num. 6. tum conceptas à viris Sanctis Religionum Fundatoribus sanctiones seu regulas approbantis. qualiter acceptus status Religiosus statim ab Exordio Ecclesiæ assumi & propagari & coli cepit ab Apostolis, & aliis Christi Discipulis, uti eos fuisse veros Religiosos tradunt S. Chrystost. l. 3. contra monast. vitæ vituper. S. Hier. l. contra Jovinian. & apolog. ad Pamach. Platus. de bon. stat. relig. l. 2. c. 2. Donat. Tom. 4. tr. 1. q. 8. alligans D. Thomam. 2. 2. q. 88. a. 4. ad 3. Tamb. l. c. to. 1. d. 2. q. 9. & alii apud Reiffent. h. t. n. 19.

*Quest. 806. Qualiter status Religiosus in hac sua perfectione definitur?*

**1. R**esp. Definiri potest, quòd sit stabilis in communi sub jurisdictione alicujus Prælati, seu Superioris Ecclesiastici vivendi modus fidelium ad Christianæ charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis perpetuæ castitatis, paupertatis, obedientiæ ab Ecclesiâ approbatus. ita ferè Laym. th. mor. l. 4. c. 1. n. 1. & ex eo Pirh. b. t. n. 2.

**2.** Dicitur primò: *stabilis vivendi modus*: siquidem ipsum illud verbum *status* quandam immobilitatem & perpetuitatem significat verè Religioni essentialem, dum Religiosus obligatur, quantum est